

quoque recipitur. Reposcentibus postea Romanis Liberius à Constantio restituitur, pulso Felice, qui Arianis & Constantio, tametsi illorum operâ ad Pontificatum sit evectus fortiter se opposuit. S. Liberius porrò, omni cum Arianis communicatione abrupta, Religionem Catholicam, à qua nunquam re ipsa desciverat, quoad vixit, strenuè propugnavit; S. Felix II. verò, quem alii nobiscum, quòd ab Arianis intrusus erat, e Pontificum catalogo expungunt, ab Ecclesiæ gubernaculis, quæ triennio tenuerat, dejectus, vitam deinceps privatam & quietam egit, Martyribus à quibusdam annumeratus.

3. *Quis Ecclesiæ status?*

Postquam horribilis illa tot persecutionum procella, imperante Constantino M. tandem desæviit, Cæsárque hic religiosissimus Ecclesiam ipse tutandam suscepit, hæc variis hæresibus, ex orco emergentibus, vehementer exagitata est. At enim tam parùm adversus petram illam inexpugnabilem prævalere hæ poterant, atque ethnicorum antea Imperatorum furor. Quin potius Ecclesiæ splendor & disciplina per solennes ritus ac cæremonias à SS. Pontificibus ad excitandam Fidelium pietatem introductas, promotam plurimùm fuit. Et verò vix unquam tot Episcopis sanctissimis, Doctõribusque præstantissimis abundavit Ecclesia, atque hoc seculo. Sapor Persarum Rex, sceleristique Imperatores Julianus Apostata, Constantius & Valens, rei catholicæ plurimùm incommodabant.